

omnia hæc testimonia suspitionis acculant, ab impostore aliquo, sive Judæo ad Christianorum partes deficiente, procusa comminantes.

P. D. Ignatius Landriani Olivetanus in Opere de Virginis partu à se scripto tract. 1. cap. 4. frustra se in scriptis Judæorum laudata à Galatino aliisque testimonia quæfivisse fatetur, ratus proinde operâ recentiorum Rabbīnorum post Galatinum ex scriptis illis erasa, nuspiam deinceps apparuisse. Ipse verò alia nonnulla è Judæis Cabalisticis in medium adducit, obscurissima alioqui, & quæ vix præterquam Hebraicè scripta, intelligerentur; versantur enim omnia in vocibus & literis Hebraicis variè inter se comparatis. Frustra etiam, etsi maxime possemus, à nobis hic omnia exponerentur, cum soli Judæi Cabalisticæ his possent, veluti argumento, uti vocant, ad hominem, revinci; quoad cæteros Rabbīnos nihil valent nisi res, & literalia documenta.

Sed nobis sanè consultissimum simul & expeditissimum videretur, si hæc omnibus in medio relictis, ad alia nos conferremus. Quando enim de consensu quorundam parvo numero Rabbīnorum constaret, levis tantum ex ea re præsumptio resultare in alios posset, quibus vaticinium illud aliter ac nos, exponere, & scripta illa à nobis opposita suspitionis arguere visum est. Ad rem magis contulisse credimus auctoritatem Septuaginta, & Caldæi, vetustissimorum omnium, qui nostrâ ætate supersunt, Authorum apud Judæos. Illi enim reddunt æquè ac nos: *Virgo concipiet & pariet*. Præter hæc, Veteres quidam RR. suppetunt in Talmud ad Messiam referentes caput. 9. Isaie, quod sanè continuatio est sermonis cap. 7. & 8. ubi de eodem argumento. Tandem paria sensisse Judæos suorum temporum Tertullianus lib. contra Jud. cap. 9. & Eusebius Cæsariensis Demonstr. lib. 7. cap. 7. quarti seculi Scriptor, pro suâ quisque ætate testatur. Hæc Judæis bonæ fidei revincendis sufficiunt; si enim obstinatâ mentis pœvicaciâ rem agere voluerint, nihil erit quod contra illos valeat.

Porrò systēma illud jamdiu à Judæis excogitatum, nimirum infantem promissum cap. 7. 14. 15. cujus deinde natalitia narrantur cap. 9. additis magnificis, & amplissimis titulis, alterum non indicari quàm, Ezechiam filium Achaz, systēma, inquam, illud falsitatis nullo negotio arguitur. Natus est enim Ezechias 8. sive 10. annis antequam pater Regni Juda solum ascenderet; regnasse autem illum constat, cum ab Isaia oraculum Emmanuelis mox orituri accepit. Frustra igitur Isaïas ejus natalitia vaticinaretur. Narrante Scriptura scimus, Achaz non nisi 16. annis regnasse; sicut & patrium Regnum adivisse Ezechiam 15. annorum ætatem agentem; quare ante obtentum à Patre Regnum natum illum constat. Porrò Oraculum hoc Isaïæ ad primum sive secundum annum Achaz pertinet; ergo &c. Fateor quidem, Scripturæ verbis subobscurè significari, alterum fuisse huic Regi filium, sed qui patriæ hæreditatis ju-

re Regnum adiret, solus legitur Ezechias. Quare Oraculum Isaïæ de filio (u), appellato *Principe pacis, qui super solum David sedebit*, & corroborabit Regnum suum in judicio & justitia usque in sempiternum; non alteri potuisset quàm Ezechia quadrare. Legimus etiam 2. Par. 28. 3. de Achaz: *Lustravit filios suos in igne, juxta ritum gentium, quas interfecit Dominus in adventu filiorum Israel*. Ex his planè filii nemo prophético vaticinio designatur.

Nec ego pœvicaciùs contenderim, vocem Hebræam *Alma* nunquam nisi virginem, planè talem designare: facillè concesserim abusione quâdam interdum usurpari de adolescentula, non quidem virginitate inspectâ sed ætate (x). Nullus tamen dubito, quin propria, & genuina hujus significatio sit, *Virgo*, nec alterum suppetit Hebræis vocabulum, quo innumpta puella expressius designetur. Derivatur *Alma* è radice, quæ sonat occultum & clausum esse; mos est enim Judæis, in toto pariter Oriente familiaris, ut in ædium parte, quæ matribus illarum assignantur, puellæ Virgines detineantur, veluti in claustris. Id sexcentis Scripturæ locis proditur. Amnon filius David fororem suam ex eadem matre satam deperiens, nullam opiatâ puellâ spem potiundi relinqui sibi querebatur (y), quia cum esset virgo, arduum censebat quippiam inhonestè agere cum illa: puellæ scilicet arcâ custodiâ & vitis impetvâ in ædibus clausæ detinebantur.

Hinc 2. Macc. 3. 19. sicut & 3. Macc. 1. 18. puellæ virgines conclusæ appellantur. Eodemque utitur epitheto Eccl. 9. In secretioribus ædium penetralibus detineri illas, continentes se ne pudorem suum viris proderent, Philo testatur (z). Observat insuper S. Hieronymus, Isaïam in eo Oraculo abstulisse à voce *puella*, quæ de puella tantum usurpatur; sed usum voce *alma*, quæ virginem designat, nunquam in apertum oculis hominum prodeuntem (a). Hæc est genuina significatio vocis in lingua Punicâ, quam eandem origine cum Hebræâ, & Phœnicia scimus. Sanior & universa ferè veterum Interpretum, ac recentiorum turba reddit *Virginem*; & Aquila, qui semel & iterum veritâ adolescentulam, Genesis tamen cap. 30. 19. reddidit *Abscosam*. Jure igitur meritoque nos eandem retinemus significationem, donec de contrario non constiterit.

Reapse enim quanquam Latinum *Virgo*, sonet quandoque fœminam non virginem, sicut & puella fœminam nuptam; nemo tamen satis ex his convincere poterit, veram & genuinam ambarum vocum significationem non esse hujus quidem. Virginem reapse talem, alterius adolescentulam nondum viro elocatum. Solus tantum verborum contextus aliam geminis hæc vocabulis significationem conciliare potuisset. Ita Judith 16. 14. legimus: *Filii puellarum compunxerunt eos*; & Joel. 1. 8. *Plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis tuæ* (b). Utrinque planè sermo est de fœminis jam nuptis. Apud Virgilium Pasiphaë trium liberorum mater, virgo appellatur Eclog. 6.

u Isaï. 9. 6. 7.

x Prover. 30. 19. *Viam viri in adolescentia*. Hebr. in adolescentula, *Behalma*.

y 2. Reg. 13. 2. *Ki betbulab hi*.

z Contra Flac. & de Specul. lib. Legib.

a Hieron. in Isaï. 7. *Ergo Alma non solum puella, sed cum epistatæi Virgo abscondita dicitur, & secreta, quæ nunquam virorum patuerit aspectibus, sed magnâ parentum diligentia custodita sit*.

b Eli Kilbulab.

Ab virgo infelix, qua te dementia capis?

Et Georg. 4. de Euridice uxore Orphei.

Immanem ante pedes hydrum moritura puella
Servantem ripas altâ non vidit in herbâ.

e Horat. lib. 1. Ode 29. *Quæ tibi Virginum, Sponso, barbara serviet?*

Varro de rusticâ, lib. 2. cap. 10. *Nec non etiam hoc, quæ Virgines ibi appellant, annorum 20. quibus mos eorum non denegavit ante nuptias, ut succumberent quibus vellent*. C. Aul. Gell. lib. 12. cap. 1.

Non rarò fœminas statim à puerperio puellas nuncupat. Et Virgil. Georg. 1. 3. *de Hero uxore Leandri, Nec moritura super crudeli funere Virgo*.

d Galat. 4. 4. e Luc. 1. 28. Vide etiam ver. 42.

Plura, si ad rem nostram opus esset, exempla congereremus (c). His planè satis demonstratum arbitror, abusione quâdam voces aliquas aliter usurpari, quamquam aliqui asertant sint & minime ambigua significationis. Ita etiam S. Paulus, quamquam aliqui natum è Virgine Christum sciret, scripsit nihilominus de illo: *Natum ex muliere* [d]. Et S. Lucas de Virginitate Mariæ alioqui optimè meritis, salutantem in hæc verba Mariam Angelum Gabrielem inducit: *Benedicta tu inter mulieres* (e).

Quò igitur genuinam sententiæ alicujus mentem assequamur, textus priùs, deinde contextus, idea & mens Authoris expendenda, in quibus circumstantiis rem scripserit; demum illi adhibendi in consultationem, qui meliùs nosse earumdem vocum significationem præsumuntur. Nobis autem favent hæc omnia. Vox *Alma* sonat apertissimè & constanter Virginem. Fateor quidem jungi illi sententiæ: *Concipiet, & pariet*; sed divino prodigio fieri poterat, ut eadem Virgo simul esset & mater. Favent etiam huic significationi ipse temporis circumstantiæ. Isaïas prodigium se aliquid exhibitu-

rum Regi pollicetur. illud nempe, de foetu & partu Virginis. A' vero igitur non abhorret, totam prodigii expectationem ad Virginis partum referendam esse. Idem colligas ex inspecto sermonis contextu; ubique enim legentibus ingeritur infans homine superior, & prodigio natus.

Si verò Judæorum Interpretes vetustissimi, nempe Septuaginta, & Paraphrases Caldæus consulantur, eos quidem lego Hebræum *Alma* reddere Virginem. Inclinant in eam sententiam de ortu Messia: è Virgine parente Judæi Jesu Christo coarv. Apostoli, & Evangelistæ, quamquam aliqui nullâ ad id cogentur utilitate, altè tamen & usque ad effusionem sanguinis Mariæ Virginitatem proclamantur. Josephus Mariæ conjux, qui injurias thalami sui æquiori animo ferre minime pateretur, qui pariter nihil è re sua reputasset, de Virginitate uxoris testimonium dicere, qui ne visis quidem maximis Jesu Christi prodigiis, & ante assertum Jesu Christo Messia: titulum obierat; Josephus, inquam, omnium primus Mariæ integritatem, & Jesu Christi prodigiosam generationem testimonio suo asseruit. Mahometus ille virginitatis ofor ne refragari quidem huic veritati audeat. Aserit, & tanquam dogma fidei credendum proponit Ecclesia Christiana, non aliam esse hujus Oraculi significationem omni remoto dubio persuasa. Hæc satis superque, quò docilis & præjudiciis vacua mens persuadeatur.

DISSERTATIO

DE DISSIPATO EXERCITU SENNACHERIB. Isaï 37. 36.

* 4. Reg. 17.

a Beros. Apud Josephum Antiq. lib. 10. cap. 2. Herod. lib. 2. cap. 142.

b Reddunt 1460156. Libras, & 5. Solidos Gallie.

c Reddunt 2085937. Libras, & 10. Solidos Gallie.

EXcusso Assyriacæ dominationis iugo ab Ezechia, Sennacherib Rex Assyriorum in Judæam cum exercitu venit (*). Quam tamen antequam redigendam in potestatem assumeret, arma priùs inferenda duxit in Ægyptum, quocum, sicut etiam cum Rege Chus, Ezechias belli societatem iniverat. Post assectam igitur triennio Ægyptum [a], arma vertens in Judæos, potissimas regionis Urbes edomuit. Ezechias interim prostratam Ægyptum fœderatam suam cernens; pacis conditiones à Sennacheribo quæsturos legatos misit. Conventum inter illos, ut Assyrii, reductis, armis 300. talentorum argenti (b), & 30. talentorum auri (c) summam reciperent. Verùm post solutam à Judæis pecuniam, Assyrius missis tribus Præfectis, Rabface, Rabfari & Tarthano, Judæis deditionem injunxit. Regis jussa Rabfaces insolenter aded exposuit, Deo oblocutus, ut exhorrens & confernatus Ezechias, scissis vestibus & sacco indutus ad Templum Domini opem à Domino impetraturus accederet; simul jubens Isaïam. Prophetam acciri, quem de re tota certiore faceret. Propheta annunciandum Regi mandavit, cur terrore minarum Sennacherib commoveretur nihil esse; sciret enim, coactum hostem rebus suis consulere, Jerosolimam relicturum intactam; quin, & in regionem suam profugum, gladio tandem perimendum.

Rabfaces quidem nullo ab hostibus accepto responso, ad Regem se contulit, qui solutâ obsidione Lachis, Lobnam Urbem è Meridionalibus Juda tentabat. Simul autem audiens Sennacherib, Tharacam Regem Chus, nempe illius Arabiæ partis, quæ ad inferiorem Ægyptum porrecta, plagam Orientalem extremæ oræ maris rubri tenet, Tharacam, inquam, auxiliares copias ad Ezechiam ducere (d); occurrendum hostibus duxit, scriptis tamen priùs literis ad Ezechiam minacibus oppidò, & blasphemis.

d 4. Reg. 19. 90. 10.

Phemis in Deum. Redditas eas literas Ezechias in Templum intulit, & coram Domino statuens, divinam ejus opem etiam atque etiam imploravit. Tunc Isaias despondentem animis Regem confirmaturus misit, simul denuncians suppetias Jerofolymis Dominum laturum, tum & commissurum, ut coactus referre arma Sennacherib, nullam illaturus esset Jerofolymae injuriam. Oraculo sua fides; per quietem enim ejusdem noctis Angelus Domini descendens, hostes insigni caede ita prostravit, ut 185000. hostium desiderarentur; coactusque statim pedem referre in patriam Sennacherib, aliquandiu post filii sui gladio extinguitus est. Haec historia delecti exercitus Sennacherib, quam nos in examen revocandam suscipimus, utpote apud Scripturam, Interpretes, & historicos prophanos non unâ ratione descriptam. Singulas hic circumstantias explicabimus, diffitas variorum opinioniones pro viribus conciliaturi.

e Exod. 12. 29. Vide Ps. 78. 49.

§ Hebraei apud Hieron. in Is. 10. 6. Vide & Auth. serm. ad frat. in Ere. mo. Hugo Card. in 4. Reg. & alios.

Qui primus nostras meditationes exercet, Angelus in caedem Sennacherib descendens occurrit; hunc enim Interpretum nonnulli bonum Angelum credunt, sive nempe Gabrielem populi Dei propugnaculum, vel Michaelem Synagogæ Patronum. Alii malum Angelum, eundem facile quem auctorem caedis primorum natu in Aegypto suspicantur (e). Ex veteri traditione receptum tenent Hebraei igne coelitus dilapso, ita correptos Assyrios, ut in cineres favillaque redactis corporibus, vestes remanent intactae; quare colligendæ prædæ accurrentes Judæos, excusso cinere omnes sibi vestes habuisse. Censent autem, quod etiam pluribus Interpretibus creditum, insignem hanc exercitus Assyrii cladem, in ipsa Jerofolymæ obsidione contigisse; adduntque, Sennacherib adhibitis tantum 10. suorum, præcipiti fugâ salutis suæ consuluisse, reliquis omnibus absumptis (f).

Laudant in hanc sententiam illud Isaiæ 10. 16. 17. 18. 19. Propter hoc mittet Dominus exercituum in pinguibus ejus tenuitatem; & subtrahet gloriam ejus (nempe sub vestibus splendidissimis) succensa ardebit quasi combustio ignis. Et erit lumen Israel in igne, & Sanctus ejus in flamma; & succendetur, & devorabitur spina ejus & vepres in die una. Et gloria salus ejus, & carmeli ejus ab anima usque ad carnem consumetur; & erit terrore profusus. Et reliquia ligni salus ejus pro paucitate numerabuntur, & puer scribet eos.

Verum S. Hieronymus in Is. 33. 3. de Judæorum relatione accepisse se dicit, Angelum Gabrielem descendisse à Deo vindicem in Assyrios, quem Angelum designatum censent nomine Hamon, sive multitudinis; in Isaiâ enim quo loco legimus, *A voce Angeli fugerunt Populi*; Hebræus habet: *A voce multitudinis fugerunt &c.* quæ verba 70. & alii Interpretes exponunt de terrore, qui subito in Assyrios incussus omnes in fugam vertit, donec occurrente Angelo exterminatore, omnes interempti sunt.

In mutuam caedem sævisse Assyrios In-

terpretum alii malunt; orto enim intestino dissidio, destinata hostibus arma in se ipsos verterunt. Quod enim in subito terrore, cæcisque nocturnis tumultibus accidere spectamus, ut singuli obvios quosque, quâ adversarios, quâ amicos offendant, ita etiam inter Assyrios factum credunt. Suffragatur Isaias 9. 3. 4. 9. *Lasabitur coram te (Populus tuus) sicut exultant Virescentes capti prædâ, quando dividunt spolia. Jugum enim oneris ejus, & virga humeri ejus, & sceptrum exaltoris ejus superasti, sicut in die Madian (cum scilicet in mutuam caedem sevitum ab hostibus). Quia omnis violenta prædatio cum tumultu, & vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis.* Quasi scilicet illud innuat Propheta, futurum ut vestimenta crebris vulneribus lacerata, atque hostili sanguine foedata, ad nullos proinde aptæ usus igni traderentur.

Eandem sententiam præferunt alii Isaiæ verba cap. 33. 4. *Congregabuntur spolia vestra, sicut colligitur bruceus, vel cum fossa plena fuerint de eo. Rejecta enim ad litus vestimenta sive incensa pirâ cremantur, sive defossa terrâ operiuntur, ne quid forte corruptione suâ aeri noxæ inferant.* Ita planè cum Assyrii accidit, ut eorum vestes sanguine foedatæ, nequid forte circumfuso aeri virulentum ex eorum afflatu inducatur, sive defossa humo operiuntur, sive igne cremabuntur.

Occisos interno aliquo & imperceptibili ulcere intima depaescente, Tostatus & Salianus maluerunt. Eccli. 48. 24. habet: *Contrivit illos Angelus Domini, veluti cum fulmine aliquo tacti solâ viscerum concussione atque delicatissimarum fibrarum disruptione, sicut & sanguineorum vaporum turbatâ œconomia perimuntur, ita planè & cum Assyrii factum ab Angelo Domini innuere Author videtur.*

Josephus in Berofii sententiam concessisse visus est, cum ejus verba nihil de suo addito laudet. Narrat igitur ejusdem Historici verbis, Sennacheribum arma ex Aegypto referentem sociatis cum Rabface Duce copiarum suarum, quæ ad obsidendam Jerusalem veniebant, armis ad Urbem successisse. Sed primâ obsidionis nocte subitâ divinitus immisâ lue corrupto exercitu, ad 185000. virorum occisi sunt. Quare Rex cum reliquis copiis promptâ fugâ Ninivem se recipere coactus fuit (g).

Rumorem aliquem de Sennacheribi in Aegyptum bello, ejusque delecto divinitus exercitu, Herodotus lib. 2. cap. 141. Sacerdotibus Aegypti referentibus, sed non sine ementita fabellarum obtegumentis veritate, audierat. Ita totam eam historiam narrat. Sethon Rex Aegypti, simul & Vulcani Sacerdos, armis Sennacherib Regis Arabum & Assyriorum pressus, atque militum suorum præsidio omni destitutus, in eis angustiis quid consilii caperet incertus, Divinam sibi opem enixis precibus imploravit. Cum post absolutas preces in somnum resolutus dormiret, Vulcanam per quietem vidit, à quo bono animo esse iustus; commissurum enim se dixit, ut à Sen-

g Antiquit. l. 10. cap. 2.

nacherib armis protegeretur. Igitur Sethon ad pugnam cum paucis suorum voluntariis procedens, Pelasium usque pervenerat; cum eadem nocte marium campestrium exercitus in castra Assyriorum subrepens, raptim cordas arcuum, pharetras, lorascutorum abrosit; quare manè surgentes hostes armorum robore destituti, fugâ se subducere coacti sunt. Spectabatur in Templo Vulcani simulacrum Regis Sethonis, lapideum murem manu tenens, hac adjectâ inscriptione: *In me quis intuens pius esto.*

Sed Isaias 20. 6. 7. & 30. 30. & Pl. 75. 6. 7. 8. 9. 10. discretissime asserunt, totam hanc Assyriorum eadem subito nimbo adjectis fulminibus deputandam: *Et erit sicut pulvis tenuis multitudo ventilantium tæ; & sicut favilla pertransiens multitudo eorum, qui contra te prævaluerunt. Eritque repente confestim, à Domino exercituum visitabitur in tonitruo, & commotione terra, & voce magna turbinis, & tempestatis, & flamma ignis devorantis. Et erit sicut somnium visionis nocturna multitudo omnium gentium, qua dimicaverunt contra Ariel (id est contra Urbem Sanctam). Sicut somnium qui esurit, & comedit; cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima ejus; & sicut somnium sitiens, & bibit, & postquam fuerit expergefactus, adhuc sitit, & anima ejus vacua est; sic erit multitudo omnium gentium, qua dimicaverunt contra montem Sion.*

h Isai. 30. 31. 32.

Hæc sine ambagibus nimbum aliquem designant; sed expressius aliquid (h). *Et auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ, (nempe fulgura tonitruum sui.) & terrorem brachii sui ostendet in comminatione furoris, & flamma ignis devorantis: allidet in turbine & in lapide grandinis. A voce enim Domini pavebit Assur, virgâ percussus, & erit transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum. In tympanis & citharis, & in bellis præcipuis expugnabit eos. Preparata est enim ab heri Thopheth, à Rege preparata, profunda & dilatata. Nutrimenta ejus ignis & ligna mulea: Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam. Alludit hic Propheta ad ea, quæ in valle Thopheth spectabantur, ubi scilicet igne, qui Moloch perpetuò ardebat, humanæ victimæ in sacrificium Numinis cremabantur. Cum autem sacrificia illa præstarentur, ne fortè exaudiri miserorum ejulatum contingeret, prohibebat tympanorum atque instrumentorum musicorum fragor. Ferunt etiam, perpetuum arsisse ignem in eadem valle absumendis morticinis, quæ ex Urbe efferebantur. Porro exercitus Sennacherib inter fragores nimborum & tonitruum ita planè deletus est, sicut ad sonum instrumentorum sacra Numini victimæ absumebantur.*

In Psalmo 75. nempe in cantico eâ occasione concinnato. hæc legimus: *Habitatio ejus (Dei) in Sion, ibi confregit potentias arcuum, scutum, & gladium, & bellum. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis: turbati sunt omnes insipientes cordes. Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.*

Ab increpatione tua, Deus Jacob, dormitaverunt, qui ascenderunt equos. Tu terribilis es, & quis resistet tibi: Ex tunc ira tua. De Cælo auditum fecisti iudicium: terra tremuit, & quiescit, cum exurgeret in iudicium Deus, ut salvos faceret omnes mansuetos terra.

Varias hæc sententias conciliare, tum per se arduum, cum nobis nullâ necessitatis lege impositum est. Quodd enim inter varios Interpretes & Commentatores non conveniat, frequentissime accidit. Satis superque habebimus, si ea omnia quæ de hac historia in Scriptura exhibentur, ita cum veritate constare demonstraverimus, ut nihil habeant repugnans, nihil non verisimile. Porro exercitum ultra 185000. virorum, variis constantem genibus, diffitis inter se moribus, & ingenio, in media regione hostili, atque inter hostes, allato de ingruentibus validissimis hostium copiis nuncio, subito terrore confecturatum, agentibus bonis sive malis Angelis, sicut etiam subito exorto tempestatis nimbo, intempestâ nocte turbatum in mutuam caedem irruisse, nec mira nec sine exemplo res est. Fieri etiam poterat, ut ingruentibus fulminibus, procellâ, grandine atque imbris, divulsisque lapidibus, cum quisque pro sua salute sollicitus huc illuc in tenebris discurreret, præcipitatione opprimeretur. Potuit etiam, & quotidiano exemplo accidere discimus, dilapsus à Cælo ignis, parte quadam castrorum correptâ, milites non infrequentes absumere; sicut & tonitruum concussio potuit multorum spiritus intercludere. Quis tandem in animum non induxerit, potuisse Angelum mortis plurimos intimo & imperceptibili ulcere percussos, absque eo quodd in extrema cute aliquid appareret, quod maxime sentit S. Hieronymus, perimere? (i).

Varia hæc caedis illatæ genera variis Scripturæ locis supra à nobis laudatis exprimitur. Nunc enim Hebræi inducuntur spoliis castrorum hostium ditati; nunc eorumdem hostium vestes vulneribus laceratæ & sanguine foedatæ in pabulum ignis tanquam inutiles omninò destinate. Hæc omnia satis conveniunt hypothesi à nobis constitutæ, nempe de exercitu delecto partim fulminibus, & tonitruis, partim Angeli altoris gladio, partim igne, partim ense & præcipitiis.

Sed ea, quæ de Angelo exterminatore diximus, maturiori examine discutienda sunt. Huic enim Authori Scriptura tribuit eadem primorum natu Aegypti (k), Israelitarum obmurmurantium in deserto [l], Israelitarum, quos in ultionem instituti census in populo à Davide Dominus peremit (m). Nec alteri accepto referuntur Jobi calamitates (n). E. Græco ejusdem Jobi 20. 15. discimus, eam olim stetisse Judæis sententiam, suum esse Angelum ejiciendæ à corporibus animæ destinatam. Alibi etiam, capite nempe 33. 23. legimus futurum, ut si fortè mille Angeli mortis Iustum preempturi venerint, nunquam tamen virum percussuros, si fortè ille in se ipsum se recipiens, de redeundo ad Dominum

i Hieronymus in Isai. 37. Centum octuaginta quinque millia fortissimorum virorum ab uno Angelo una nocte caduntur; & absque vulneribus occisorum mors sævâ discurret, excludens animas Dei voluntate.
k Exod. 12. 29. l Psal. 77. 49. m 1. Cor. 10. 10. & Judith 5. 11. 25. n 2. Reg. 24. 16. o Job 1. 11. 12.